

VISBIA GOTHORVM.



VOTIA, insula maris Oceani, ubi Suetiam, Liuoniam & Pruteniam alluit, agrum habens armatis aptum, venatione, piscatione, marmore, rebusque omnibus humano vsui necessarijs diues, VISBV1, olim ostentauit, urbem longe præclarissimam, Emporium, si quod aliud totius Europæ celeberrimum. Quod etiamnum ex fatali argumento constat, ex marmoris nimirum, & maximis ruinis, magnificentiam & fastum insignem testantibus. Totius Insulæ non tam Metropolis, quam Monopolis existit, Episcopum habens, qui omnibus Ecclesijs, quæ in Gothlandia sunt plures, præest. Anno Christi M. CC. LXXXVIII. à Magno, Daniæ Rege, murorū & ciuium ius consecuta: Et præsidio castri per Margaretam Daniæ, Suetiæ, & Noruegiæ Reginam firmius munita. Post variam fortunæ aleam subiit, vt ex sequenti narratione latius patebit. Omni tempore, cum vniuersa Intiua Daniæ Regi, nunquam Sueco, sub Lincopeni Episcopo, vt scripta, quorundam perhibent, paruit, Condita à Gothis, quos Beda, & plerique veterum Viras nuncupant, quorum hodie nominatio superest, non tantum in Cimbricia Chersoneso, sed in ipsa quoque Gothlandia Normachia Hogburgenfi, ad sinum Burfuiig. Celeberrima Visbia extitit emporio toto orbe Septentrionali nobilissimo, Veneta enim funditus euerfa, atque inde Slesuiga incendijs & rapinis vastata, translatum est Cimbrorum Emporium Ripas Phundusiorum, vnde paulo post mercatorum colonia in hanc insulam transijt. A Esti mari potest vrbis antiquæ dignitas atque amplitudo, partim adificiorum splendore, partim etiam templorum, accenobiorum multitudine, Indigitant aduenis, etiam hodie incolæ decem templa, ac quatuor monasteria, arte, ac materia operis sibi inuicem æmula. Ericus Cyprius Rex Daniæ in itinere sacro, classem his oris applicans, templum D. Olao sacrum condi mandauit. Plateæ publicæ quondam crepidine cõtina obductæ, merces pariter, ac mercatores ipsos à vi atque iniquitate ventorum facile tutabatur. Ea re præcipue ceteris totius orbis vrbibus antestetit Visbia. Et restant nostro æuo huius structuræ artificiosissimæ parietinæ, indicio rei certissimo. Quinimo visuntur passim ædes ciuium secto de marmore cõditæ vestigiorum antiquitatis maiestatem præ se ferentes quandã incredibile. Quæ, si aut Romæ, aut Norimbergæ, aut Agrippinæ Colonia quæ vrbis magnificis ædificijs condecoratur, venales haberentur, magna omnino vi pecuniæ redimi necesse foret. Cingitur vrbis muro reliqua parte, quam mare non alluit portu vicino, in quo captus est piscis ille famosus, cuius ventre infans exectus est, Anno, à partu virgineo M. CC. LXXXIX.

Additamentum libelli Dauidis Chitrei de rebus VVandalicis, hæc de Gothorum Visbia commemorat: VVineta m urbem olim celebrem marinis fluctibus oppressam scribunt. Postea Sueones ex Gothlandia eo nauigijs venisse, & quicquid ex operosissimis structuris marmoris, aræis, stanneis, auro, & argëto ex aquis saluari poterat, eruisse, & in Gothlandiam transportasse. Interea æreas maximiponderis vrbis inuentas portas, & in Visbu translatas, antiqua cantilena sonat, inde forma increbuit, Haldungum Regem Suetiæ euertisse, & Emporium in Visbu translatum esse. Certum autem est, deleta VVineta, viribus & opibus Visbu in Gothlandia creuisse, vt postmodum magnitudine laborans sua, etiam corrũere cœperit.

Ex Gothorum Archyuo, quæ sequuntur, Illustris & Generosus Dominus Henricus Ranzonius Produx & Gubernator Cymbrius, ad Topographicum nostrum institutum promouendum, communicauit. Anno M. CC. LXXXVIII. fuit magna guerra in Gothlandia inter ciues **Wissby** & bundones terræ, pugnaveruntque ad inuicem in mense Aprili, tertio Sabbatho post Pascha, & vicerunt ciues: Sed tandem reconciliati sunt per dominum Regem Magnum, & permissum est ciuibus murare ciuitatem.

Anno M. CCC. LX. VValdemarus Rex Daciæ obrepta victoria de Holsatis, ac tota Dacia pacificata in Scania Regem Magnum, quandoque minis quandoque promissionibus in tantum vexabat, quod ei totam Scania cum omnibus castris, cõsiliarijs sui regni minimè requisitis, gratis tribuebat: Insuper & sibi annuit, vt etiam Gothlandiam, si eam capere posset, obtineret: Iam enim Ericus Rex filius domini Magni obiit.

Anno Domini M. CCC. LXI. Idem Rex VValdemarus veniens in Gothlandiam cum magno exercitu ducens secum quamplures Duces de Alemannia in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ: Et in crastino sancti Iacobi cum Bundonibus terre ante australem portam ciuitatis pugnavit, Et ex illis mille octingentos in bello occidit, Et immediatè ciuitatem VVissbyensem cum placitatione obtinuit. Demum in die sancti Augustini recessit, ducens secum maximum thesaurum auri & argenti, quem de ciuitate & terra accepit.

Eodem anno ciuitates maritimæ se Regi VValdemaro opposuerunt, & castrum Hafnis destruxerunt, & tunc Rex de ciuitatibus 12. liburnos cœpit, & omnes quotquot in eis erant captiuauit, & in Selandiam misit, vbi ipsos labore & fame grauissimè afflixit: Et postea ante **Helsingburig**, quod castrum tunc Theotunici circumuallauerunt inter Regem & ciuitates pax est reformata. Iste VValdemarus à Dan primo Rege Danorum erat centesimus duodecimus, cui successit Olauus Rex filius Haquini Regis Noruegiæ, qui pauco tempore vixit.

Anno M. CCC. XCVII. Dux Ericus filius Alberti Regis feria secunda post Pentecosten armata manu abstulit duas turres de ciuitate, & in morte eas ciuibus restitui suis mandauit, quod & factum fuit. Anno Domini M. CCC. XCVII. feria quinta post Mariæ Magdalenæ Dux Ericus filius Alberti obiit in Guthlandia in Clyntæ in castro suo quod ædificauit, dicto **Landestrone** & sepultus est **Wissby** apud beatam virginem, Et eodem anno Rex Ericus filius Ducis Pomeraniæ, Kalmariæ, à Domino Henrico Archiepiscopo Opsalensi die Trinitatis coronatur super tria regna.

Anno Domini M. CCC. XCII. prænominatas turres scilicet **Zelarn** & aliam dux Iohannes & Sueuo Sture armata manu feria quarta in profesto sancti Benedicti receperunt. Anno Domini M. CCC. XCVIII. in festo beati Benedicti Abbatis venerunt domini de Prucia ad Gothlandiam cum exercitu magno & obtinuerunt à Duce Iohanne & seruatoribus Regis Alberti cum placitatione ciuitatem & terram. Anno domini M. CCCC. III. in crastino Martini cœperunt Dani & Sueci Guthlandiam & ciuitatem à festo conuersionis S. Pauli, vsque ad Cathedram S. Petri fortiter obsiderunt, sed ciuibus præualentibus, & dominis de Prucia eis in adiutorium cum maximo Exercitu circiter quindecim millium armatorum superuenientibus dictos Dacos & Suecos destruentis castris eorū, amissis armis & equis de Guthlandia effugabant, & post hoc pax inter Reginam & Danos est reformata.

Anno Domini M. CCCC. VIII. in festo Sancti Michaelis rehabuerunt Daci Gothlandiam à Dominis Pruciæ pro ix. millibus nobilianorum aureorum. Anno Domini M. CCCCXI. die sancti Olauo Ericus Rex Daciæ, Sueciæ, & Noruegiæ veniens personaliter ad ciuitatem VVissbyensem cum Exercitu magno, turres prænotatas obtinuit, & castrum in die Sancti Petri ad Vincula ædificare cœpit.

Anno Domini M. CCCCXXXVII. obiit nobilis vir dominus **Thure hase miles** & Capitaneus totius Gothlandiæ, qui maximam e castri **Wissberg** partem fecit ædificare. Anno Domini M. D. XXVIII. visitauit reuerendus pater Gothlandiam Dominus Iohannes Brassius, Episcopus Lincopensis, & die S. Bartholomæi, eopatre præsentepassi sunt Lutherani Hæretici repulsam in Ecclesia S. Iohannis per strenuum virum Paulum **Geest** pro tunc Capellanum VVissbergensem. Sed de rebus Gothlandicis, & vrbis Visbiæ conditione vberiorẽ expectet beneuolus Lector enarrationem, à Doctissimo viro Andrea Velleo Ripensi.

a Marmorea staua vbi sepulchrum est istamum hic monstratur cuius pictura ab vtroque latere Schema in lamina expressum, demonstrat.

b Hoc de interiori castro intelligendū, nam exterius A-wilomij edificauit. Nota Interioris.